



## Praesidis oratio inauguralis

### Document Version

Final published version

[Link to publication record in Manchester Research Explorer](#)

### Citation for published version (APA):

Laes, C. (2022). Praesidis oratio inauguralis. *Melissa*, 229, 4.

### Published in:

Melissa

### Citing this paper

Please note that where the full-text provided on Manchester Research Explorer is the Author Accepted Manuscript or Proof version this may differ from the final Published version. If citing, it is advised that you check and use the publisher's definitive version.

### General rights

Copyright and moral rights for the publications made accessible in the Research Explorer are retained by the authors and/or other copyright owners and it is a condition of accessing publications that users recognise and abide by the legal requirements associated with these rights.

### Takedown policy

If you believe that this document breaches copyright please refer to the University of Manchester's Takedown Procedures [<http://man.ac.uk/04Y6Bo>] or contact [uml.scholarlycommunications@manchester.ac.uk](mailto:uml.scholarlycommunications@manchester.ac.uk) providing relevant details, so we can investigate your claim.



## PRÆSIDIS ORATIO INAUGVRALIS

– quam habuit Christianus Laes –

Tripertita, ut decet, erit hæc oratio mea, quamquam timeo ne duas saltem priores partes timide atque verecundia quadam tangere possim. Ruborem scilicet me esse allaturum procul dubio scio in parte priore, at pudet me etiam secundam partem enodare. In tertia autem sat secure atque firmiter me posse progredi confido. Sat mysteriis obvelavi verba mea. Nunc oportet aperiam.

Primum, de præside nunc merito, de Theoderico nostro. Dies, quin etiam dies et nox non sufficerent ad enodandum quot quantosque labores pro hac Academia nostra exanclaverit. Bibliographiam vel enumerationem omnium titulorum quos Latine exaraverit quis umquam congerat (quadruplicem saltem messem linguæ vernaculis compositam esse existimo). Laudes eius in volumine *Dulces ante omnia Musæ* cecinerunt inter alios plures etiam huiusce Academix sodales: orationibus, symbolis doctis, carminibus.<sup>1</sup> Licet mihi hic cogitationem etiam subiungere hanc. «Sine rixa», «sine querela». Talia verba in inscriptionibus Latinis interdum adhibentur ad matrimonium quæ pertinent. Nonne sic Theodericus noster matrimonium suum cum Academia duxit? Sine rixa. Eumne iratum, infestum, acerbum agentem quis umquam vidit? Immo, gaudium, lætitia, sol etiam Latinitatis ex facie eius, ex verbis prolatis elucere patebant. Sine querela. Non eo quod nobis non erat querendum de illo. De eo ipso potius agitur. Omnia fere opera suscepit eaque modesta, honores numquam sibi petivit, minutiis in arte edendi insudebat, epistulas electronicas tam belle scripsit ut fortasse etiam opus esset editione quadam illarum. Sufficiant hæc, ruborem iam attuli, sed hæc erant dicenda.

Nunc de pudore. De me ipso. Anno 1997 Granivici [Jyväskylä] primum meum adii conventum Academix, decem annis post sodalis ordinarius Romæ sum creatus. Nomina autem decessorum quos novi reputans – Luiselli scilicet, Pekkanen, Smolak, Sacré – facere non possum quin more pæne Anglico, vix autem Latino addam hos esse calceos revera maiores quam ut ego impleam (Anglice: «big shoes to fill»). Ne plura: iam satis sunt homines, ubicumque in orbe terrarum, qui se laudari nimis cupiant. Equidem imprimis hoc vobis promitto, sodales carissimi, me munus suscepisse ut Latinitati atque vobis ipsis servirem.

Ad tertiam nunc partem, eamque maioris scilicet momenti. De Academia nostra sum locuturus. Quam iam ante quindecim annos tantum posse exstare indicavi dum sit et docta et Latina.<sup>2</sup> Sit nobis hæc regula simplex etiam in futuro. Non oportet nobis eos præsertim requirere qui fluenter videlicet, absque ulla autem

eruditione Latine sermocinari valeant. Alia ex parte, nobis opus vix est academicis doctissimis qui tamen usum ipsum linguæ Latinæ respuant. Extant circuli Latini, quos ego magni æstimo, quorum unum ipse condidi; sunt tot etiam academix doctissimæ. Nonne proprium nostrum sit ut ambos hos aspectus, usum dico linguæ atque doctrinam identidem foveamus? Quod et probabitur novo volumine huius conventus quod nobis in animo est divulgare.

Ceterum, spero me non esse electum ut renovator fierem. Hoc longe abest a moribus meis. Certe, id conabimur (ego atque conciliarii) ut Academia Latinitati Fovendæ melius etiam innotescat, instrumentis technicis usi. Sed præsertim eadem via pergemus, ut vincula constringamus cum aliis viris doctis, ut opera nostra publici iuris faciamus sive sodales adiuvemus in operibus divulgandis, ut sessiones menstruas continuemus, ut revera quotannis Romæ inter nos revideamus.

Nulla academia exstare potest sine sodalibus. Nullus etiam conventus fuisset sine sodalibus atque amicis. Nicolaus De Mico est noster fidelis ab epistulis per viginti fere annos. Vix credi potest quanto nobis auxilio fuerit ille atque etiam mater carissima in hoc conventu præparando. Aloisius Miraglia, omnes Vivarii magistri, discipuli etiam Vivarienses tot comoda atque iucunda nobis præbuerunt ut verba vix possint sufficere ad gratias agendas. Amici Salesiani nos perbenigne receperunt in studiorum universitate.

Audite ultima huius conventus verba, sodales carissimi! Plaudite vehementer ac fortiter, non mihi, sed omnibus his amicis qui effecerint ut fieret hæc festivitas. Plaudite et vobis ipsis! Quæ esset vita sine lingua Latina? Quæ esset vita sine amicitia? 🍷

1. J. De Landtsheer, F. Della Schiava, T. Van Houdt (eds.), *Dulces ante omnia Musæ. Essays on Neo-Latin Poetry in Honour of Dirk Sacré* (Brepols, Turnholti, 2021).

2. C. Laes, «De Academia Latinitati Fovendæ. Deliberationes quædam novi sodalis», *Melissa* 141 (2007) p. 3-4.